

quibus testimonium jam tulerant, quemadmodum docet *Gonzalez. in Cap. Fraternitatis de Testib. & Accus.* = *Datur occasio subornationis: Periculum enim est, ne quis Testes novos, vel etiam priores, sed reproductos instruat, & quod prius non deposuerant, suppleant in gratiam Producentis =, & rursum in Cap. I. ejusdem Tit. = Si iterum Testes deponerent, facile corrumpi possent, quod maxime cavendum est, Cap. Fraternitatis.*

- 10 Jam vero hanc, quam hucusque præmonuimus, agendi rationem in nova comparanda defensione servare diligentissime debebunt *Gaussæ* Patroni in potiori vindicando Teste *Francisco Sansio*, qui, ut sapienter animadvertēbat unus aut alter ex Amplissimis Suffragantibus in antea actis Comitibus, postquam in Ordinaria Inquisitione tamquam Testis ordine XXXVII. de integro Venerabilis Dei Famuli vitæ cursu non ambigue, non obfcure, sed clare atque perspicue deposuerat, atque Articulis omnibus, super quibus fuerat interrogatus, plene cumulateque satisfecerat, nulla dein urgente necessitate, post annos quindecim (in primo namque examine annos agebat triginta quinque, in altero vero quinquaginta) iterum tamquam novus Testis ad examen vocatus, eosdem percurrit Articulos, & eadem, quæ jam antea dixerat, de Vita, Morte, & Funere Servi Dei, denuo repetit; sed vel novas addit circumstantias, quas quum recentior ei inisset rerum a *Ven. Gaspare* gestarum memoria, silentio tacitus præterierat, vel majori apparatu verborum, quæ in Tabulis jam retulerat, exornare studet, atque amplificare. veluti quisque intelliget, qui comparationem instituat inter primum & alterum examen, ac ea præsertim perpendat, quæ de postrema S. D. ægritudine, & obitu edisserit, *Summar. pag. 168. §. 12. pag. 169. & seq. §. 19. & seq. pag. 183. & seq. §. 17. & seq. pag. 190. §. 13. & §. 14.*
- 11 Quid autem, si *Sansius* partium studio abreptus diligenter nimis ea rescire curasset, quæ Causæ prodesse poterant, & tanquam ultroneus Testis secundum subiisset examen, vel a Postulatoribus eas edoctus circumstantias, quæ prius ignorabat, fuisset ab iisdem iterum inductus? Quænam, quæso, fides Testi hujusce generis foret adjungenda, quodque pondus, quamque auctoritatem conficeret ejus testimonium? Tot quidem tantæque sunt peculiare Factorum circumstantiæ, quas in secundo examine retulit præfatus Testis, ut dum easdem accurate perpendo, simulque animadverto, *Sansium* post satis diuturnum quindecim annorum lapsu n. longe plura aperuisse, quam quæ paullo post Dei Famuli obitum deposuerat, illum profecto reprehendere non auderem, qui ejusdem depositionem reiciebam prorsus esse existimaret. Nemo enim sibi persuadeat, præteritarum rerum memoriam eo magis vigere, quo plures ab earum eventu anni elapsi sunt; proptereaque quicumque ad *Sansii* testimonium oculos attente convertat, illius potius studium in amplificando, quam in deponendo simplicitatem & veritatem arguere omnino debet.
- 12 Nil itaque mirum, si Testis iste sibi non satis constans plerumque videtur. Et re sane vera, dixerat *Sansius* in primo Examine, quod *Ven. Gaspar* = *proco prima di morire ordinò ALL' ATTESTANTE, che gli leggesse il Passio, e metesse l' Acqua Santa in un Vasetto = Summar. pag. 168. §. 13.* In altero vero, in quo multo plura, magisque præclara de postrema Dei Famuli ægritudine differuit, eorum penitus oblitus, quæ quindecim retro annis deposuerat = disse, inquit, che gli chiamassero un Giovane, il quale avesse la voce chiara; onde subito fu chiamato *FRA GIOVANNI GERDAN,* che leggora bene, cui disse, che si mettesse dirimpetto a Lui i piedi del Let-